



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio V. Christus non potest esse imperfectus moraliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

pacitas Christi ad hos actus non solum remota, sed etiam proxima, non repugnat cum unione hypostatica, & visione Dei. aliunde sunt grati ipsi Deo. At propterea Christus non est imperfectus: actus est imperfectus, quando amat creaturam non propter Deum, quæ carentia illi non potest auferri; quia illi repugnat amare obiectum, quod semel non amat. Imperfectio autem subiecti est carentia amoris creaturæ propter Deum. Quia verò Christus exercens misericordiam strictè, simul exercet amorem Dei circa idem obiectum; ideo non habet carentiam amoris creaturæ ob Deum; ac propterea non est imperfectus, sed perfectus.

§. 30. Obijcis: Ab actu perfecto Christi est perfectus: ergo imperfectus ab imperfecto. Probo consequentiam: quia actus imperfectus communicat suum effectum formalem subiecto, non minus quam perfectus. Nego consequentiam. Probationi respondeo, totam imperfectionem actus communicari subiecto, quod per talem actum amat imperfectè, sicut perfectè per perfectum: absoluta autem imperfectio subiecti non inde sumitur, sed ex actu imperfecto simul cum carentia perfecti: quia verò actus imperfectus coniungitur cum perfecto, subiectum est perfectum: itaq; perfectio animæ est in solo actu perfecto; à quo est perfecta, ut paries albus ab albedine: ob quod actus perfectus animæ vnitus illam reddit perfectam; imperfectio autem animi in amanda creatura constatur ex amore illius propter ipsam, & in carentia amoris eiusdem propter Deum: ob quod actus ille imperfectus vnitus animæ eam non reddit absolute imperfectam: quia non est in animo carentia amoris eiusdem creaturæ propter Deum, quæ carentia necessaria est in animo, ut sit imperfectus in amanda creatura. dixi, *In amanda creatura*: quia animus amans Deum est perfectus perfectione relata ad obiectum, quamuis non amet creaturam; quia sine huius amore est coniunctus Deo: at si creatura amanda est perfectè, amanda est propter Deum: potest autem animus esse perfectus, & creaturam imperfectè amare.

§. 31. Perfectio autem, de qua adhuc egi, est in actibus comparatione obiectorum, aliarumque rerum pertinentium ad obiectum, intensiorem, & alias circumstantias. Nunc supersunt explicanda alia duo capita. Primum est comparatione beneplaciti Dei, siue desiderij. Peccatum mortale est contra voluntatem grauius præceptiuam; veniale contra leuiter; imperfectio contra maiorem Dei propensionem: nam perfectio ad salutem necessaria est conformatio cum prima voluntate; perfectio autem ne retardetur, assecutio vitæ æternæ est conformatio cum secunda: maxime autem est conformitas cum tertia, quæ est absolute, & ore pleno perfectio. S. Thomas 2. ad Timoth. 3. sine, *Tunc*, inquit, *homo est perfectus quando est paratus ad omne opus bonum, non solum ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ supererogationis*. Hæc autem dixi §. 11. esse opera consilij. Tullius (quem hac in parte probat Augustin.) dixit perfectam amicitiam esse diuinarum humanarumque rerum consensionem. S. Hieron. ad Demetriadem dixit, idem semper velle & nolle, esse perfectam amicitiam.

§. 32. Tandem actus sunt perfecti non solum per intrinsecam bonitatem, & conformationem cum voluntate diuina; sed etiam per extrinsecam denominationem à dignitate suppositi: ob quod omnia opera supernaturalia Christi infinite placent Deo, & sunt ex se digna præmijs infinitis. Vnum autem solum meretur tantum, quantum omnia. item vnum æquè placet Deo, ac cætera omnia; non quidem ratione obiecti aut circumstantiarum, sed ratione suppositi, à quo dignificantur infinite. Hæc autem aliunde pono, quæ ratione contingant.

SECTIO V.

Christus non potest esse imperfectus moraliter.

§. 33. **D**ico Primò: Christus fuit perfectus, nec leuissimè discessit à voluntate Dei consiliatrice. Probatum apertè, Ioan. 8. v. 29. *Quæ placita sunt ei, facio semper*: ergo semper secutus est Deum consiliantem. Matth. 19. v. 21. suadens Christus adolescenti perfectionem supererogationis, se proposuit exemplar: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes; & sequere me*: ergo Christus fuit perfectus: adolescens enim, quem constabat seruato rem esse legis, futurus erat perfectus imitatione Christi. Dixit enim Hieron. *Sequitur Dominum, quò imitator est eius, & per eius exempla graditur*. Item Lira, *In sequela Christi per opera charitatis consistit perfectio*.

§. 34. Dico Secundò: Implicat terminos imperfectio moralis in Christo, si proponantur Christo duo obiecta, & Deus illi insinuet maiorem propensionem in alterum, Christus id animaduertens tam determinatus est ad illud, quam si esset præceptum. Hanc conclusionem dixi ab hinc 13. annis, cum vix vnus aut alter Doctor Scholasticus eam salutasset à limine, nec à longè questionem. P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 37. lect. 6. §. *Quomodo aut*, ait, *ed vel maxime, quòd non solum repugnat Christo peccatum, verum etiam ille imperfectionis modus, qui est dissentire à diuina voluntate sibi proposita, ut regula suæ operationis. Quam deinde perspicuè docuit P. Phil. Monzeus vir elegans & acutus disp. 9. c. 7. vers. Sed vt nunc, & P. Ragusa disp. 128.*

§. 35. Probatum ex Ioan. 6. 38. *Descendi de celo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*. Vbi Lyta: *Non est, inquit, per hoc intelligendum, quòd voluntas Christi in aliquo discordet à voluntate Patris; quia secundum naturam diuinam eadem voluntas est Patris, & Filij. Similiter secundum naturam humanam voluntas eius non poterat à voluntate diuina discordare; cum anima Christi esset coniuncta Verbo non solum per fruitionem, sed etiam per unionem realem. Et sic voluntas Christi nullo modo poterat à voluntate Patris discrepare. Expendatur vox nullo modo: quæ significat Filium nullo modo posse deflectere à voluntate paterna: ergo nec in consilij poterat: quia consilium voluntas est Patris, quo præfert vnum alteri, vt patet ex Gloss. ad Rom. 12. 2. lege Tolera ibi, *Sed qua sit voluntas Dei*. At ex sententia Lyre*

8 Thom.
9. 15. 4. 1.

nullo modo potest discrepare ab aliqua voluntate Patris: ergo ex sententia Lyrae, Christus est adstrictus ad consilia.

§. 36. Mitto alia testimonia. Considera Ioan. cap. 5. 19. *Non potest Filius facere quidquam nisi quae Patrem viderit facientem. Quem locum P. Maldonatus cum Elia Cretensi & Seuero Antioch. & Casario exponit de humanitate Christi, quibus adde Cyrilum & Chrysost. apud P. Tolet. annot. 15. Quibus ille acriter refragatur, locum exponens de diuinitate cum August. & alijs. Verum utrosque ego conciliarem, opinans Christum de vtraque locutum; quia quando dicit, *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*; aequalitatem indicat cum Patre: hoc tamen non tollit, quin etiam operatio externa sit humanae voluntatis, per quam Verbum operatur sabbato, vt dominus sabbati etiam vt homo, vt dixit Matth. 12. 8. homini manu arido, *Dominus enim est filius hominis etiam sabbati*. Ex eo autem testimonio aperte colligitur contra Arrianos consubstantialitas Filij cum Patre, & contra alios haereticos veritas humanitatis. Cui expositioni ex parte consentit P. Salmer. tom. 8. tract. 9. vers. *licet illi intelligentia*. Imò August. ipse sequentia verba, *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; non vult intelligi de diuinitate, sed de humanitate. Toletus verò annot. 19. id explicat de humana. & diuina iudicialia potestate, qua ratione explicatur tota illa disputatio. Est igitur satis consentanea hæc conclusio Scripturae, & eius interpretibus.*

§. 37. Probatum Primò, ratione vnionis hypostaticae: ad sanctitatem pertinet confirmatio in gratia, quandoquidem hæc est tam perfecta, vt non solum non possit cum peccato componi; sed nec illo destrui. Quæ perfectio aliena est à gratia sanctificante pura creaturae in via: propterea est in statu imperfecto: at illi inest ea perfectio in patria ratione visionis, & amoris necessarij in Deum. Confirmatio autem in gratia ex priuilegio est maximum beneficium donumque Dei, essetque maximum argumentum sanctitatis in gratia sanctificante: nec negari potest, quin illa esset perfectior, quam hæc, si in nullo statu posset destrui peccato. Quo aperte probamus gratiam vnionis esse maiorem habituali. Item ad maiorem sanctitatem pertinet confirmatio contra peccata venialia, qua communiter carent iusti in via, eorumque gratia potest cum peccato veniali componi: est autem perfectior in patria; vbi est impossibilis ea compositio: esset autem maximum argumentum maioris perfectionis repugnare peccato veniali in omni statu: ergo confirmatio contra imperfectionem pertinet ad maiorem sanctitatem, quæ nulli pura creaturae contrigit in via (nisi fortè sanctæ Mariæ immuni à legibus cæterorum iustorum) quam perfectionem existimo esse naturalem patriæ. Igitur perfectior esset gratia sanctificans, cui repugnaret compositio cum imperfectione in omni statu: de quo nullus potest dubitare: quia maior perfectio sanctitatis colligitur ex connexionione cum illis tribus gradibus conformationis voluntatis creatæ cum increata: sed gratia vnionis est perfectissima, quam possumus excogitare: ergo habet illam connexionionem voluntatis creatæ cum increata. Nec dubium quin ita sit

theologizandum, si componi potest hæc sanctitas cum libertate: nec enim alio argumento mouentur auctores oppositi, de quo disp. sequ.

§. 38. Confirmatur. Sanctitas Dei habet connexionionem necessariam cum necessitate ad cendum actu imperfecto in voluntate diuina; & tamen reperitur ibi summa libertas ad actus æque perfectos: ergo eadem sanctitas vnita creaturis habeat eandem connexionionem in voluntate creata seruata eiusdem libertate circa actus quoscumque perfectos, & consentaneos voluntati diuinae.

§. 39. Ante secundam rationem præmitto, consilia Dei esse vel communia, vel priuata. Communia sunt de se meliora, quam non consilia; in quæ frequenter sese Deus magis inclinat. Celibatus enim de se melior est matrimonio, quem frequentius consulit Deus teste Paulo: at propterea non est aliquis reprehensione dignus, quando vxoratur. tum quia ducens vxorem bene facit ex obiecto: tunc quia potest omnibus, vt aiunt, pensatis, non agere contra consilium Dei in vxore ducenda: quia aliquo ex capite erit confortius voluntati Dei, quam celibatus. Sic B. August. visus est æquate matrimonium Abrahamæ virginitati Baptistæ to. 6. lib. de Bono coniugali cap. 21. ijs verbis: *Quocirca sicut non est impar meritum patientie in Petro, qui passus est, & in Ioanne, qui passus non est: sic non est impar meritum continentie in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias; & in Abraham, qui filios generauit: & illius enim celibatus, & illius connubium pro temporum distributione Christo militauerunt*. Hæc August. qui constituit meritum non impar, constituit par & æquale: rectè autem dixit non esse impar meritum Baptistæ: iam enim aduersarij admittebant merita Abrahamæ, & reprehendebant celibatum; quem dicit esse æqualem in Baptista coniugio Abrahamæ. Rationem autem reddit huius æqualitatis: quia Abraham in ea lege vivebat, in qua maledictus erat qui non excitabat semen in Israel: at in legis plenitudine cessauit maledictum.

§. 40. Igitur si quis ex suo celibatu videat reipubl. imminere mala propter heredem hæreticum, melius faciet, si ducat vxorem ex voluntate relinquendi regnum filio Catholico. Consilia priuata sunt, quando hinc & nunc satis constat Deum magis inclinari in hoc, quam illud obiectum, vt cum stimulus alicui admouet, vt se deuoeat statui religioso: hic nisi id faciat, est imperfectus.

§. 41. Eandem ob causam est dignus aliqua reprehensione, quam quisque in conscientia experitur, omittens, quæ censet hinc & nunc gratiora esse Deo. considerandum est enim reprehensionem propriam non esse nisi ob peccatum: at propter imperfectionem est etiam aliqua reprehensio: quia non facere melius est quadam declinatio à bono, quæ declinatio dicitur mala, id est, minus bona: sæpè enim quæ in se bona sunt, dicuntur mala comparatiuè. Vt homo procerus est absolute magnus: at comparatione gigantis dicitur nanus. Eam ob causam in Religionibus sunt frequenter reprehensiones ob violatas regulas, licet non sint nisi consilia: vt enim dixit Bernardus, non progredi regredi est, non quidem positiuè & absolute, sed secundum quid; ita deserere leges consiliarias, & illis non exerceri, est non

non facere melius, & quiddam malè facere, non
positivè & absolutè, sed negativè, & secundum
quid.

§. 42. Hinc argumentor: Christus ratione va-
nionis non est capax alicuius reprehensionis, nec
propriæ, nec secundum quid, nec Deus potuit
illi aliquando dicere, & quasi exprobrare ab eo
prætermisum, quod videbat sibi magis placere.
Pone, Christum vitam egisse Religiosam, quis di-
cet eum potuisse committere, ut iure obiurgaretur
à Prælo: à quo publicè infliguntur pœnæ ob
regulas violatas: quæ violatio regulæ etiam si
consiliariæ, vocatur *culpa*, non quod sit propriè
culpa contra legem, sed tantum violatio consilij.
S. Ignatius in Constitutionibus præcepit, ut Reli-
giosi interdum petant à Prælo pœnam sibi infligi
ob defectum in observandis regulis. De re est
exemplum B. Aloisij Gonzagæ, qui cum ope-
ram daret actioni cuidam honestæ ex consilio Su-
perioris, & esset reprehensus publicè à Ministro
Collegij, ignaro quid consultum esset à Superiore,
quod egisset contra communem regulam; cum
ipse Aloisius non desisteret ab incepto, scanda-
lum peruasit bonam partem Collegij: quod ado-
lescens mira sanctitate præditus bis contra regu-
lam commisisset. opus fuit ad sedandum scanda-
lum testimonio Rectoris, quo & Aloisij obedien-
tia, & humilitas in se non excusando, cum posset
se excusare, monstraretur. An Christus posset hæc
scandala præbere in Religione?

SECTIO VI.

Opposita sententia.

§. 43. Christum potuisse imperfectionem ad-
mittere, non eligendo id quod Deo magis
placet, censent pauci recentes non argumento
armati, sed succumbentes. Quibus præiisse videtur
S. Anselm. lib. 2. *cur Deus homo* c. 19. cum enim Bolo
obiecisset Christum de duobus obiectis eligere po-
tuisse minus bonum, respondet id non esse absur-
dum, quia neutrum determinatè exigitur à Deo,
sed utrumque æquè permittitur voluntati Christi.
Respondeo ibi ab Anselmo præscriptam ratio-
nem, quæ Christus sine peccato potuit non mori:

quia mors & vita æquè fuerant permissa eius ar-
bitrio: ob quod si noller mori, non declinaret à
debito. De hac autem nostra quæstione non me-
minit Anselmus. Quod si meminit, explicari po-
test de maiori bono relato ad obiectum, non verò
ad maius beneplacitum Dei. quæ expositio non
malè colligitur ex eodem Anselmo.

S. Thom.
q. 1. 5. a. 1. 2.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

§. 44. Primum argumentum: Christus de duo-
bus obiectis consilij potest eligere mi-
nus bonum, quodque videt minus placere Deo:
ergo potest esse imperfectus. Consequentia pa-
tet, & antecedens liquet: quia nulla Christo in-
esset libertas, cum obiecta sint inæqualia, alte-
rumque melius alio. Hinc ulterius argumentor:
Ergo Christus potuit eligere obiectum, in quod
Deus minus inclinatur. Probo consequentiam:
quia sicut potuit eligere illud, in quo Deus erat
minus complaciturus; ita potuit eligere illud, quod
minus desiderat: quia utrumque est minus consen-
taneum voluntati Dei.

§. 45. Hoc argumentum est explicatu difficilli-
mum, cuius difficultas nos impellit in disputatio-
nem sequentem, nec exiguam, & difficilem. Nunc
breuiter respondeo, in Christo libertatem esse tu-
endam tum in eligendo aliquo obiecto, quod æ-
qualiter desideretur à Deo, ac aliud, quod omitti-
tur: esto sint physicè inæqualia: tum ratione puræ
omissionis, quæ in multis occasionibus potuit esse
absque peccato & imperfectione morali. De quo
me videro disp. sequenti à §. 131. præcipuè 137.

SVBSECTIO II.

Secundum argumentum.

§. 46. Secundum argumentum petitur à liberta-
te Christi: si enim adstrictus est non so-
lum ad præcepta, sed etiam ad consilia; ergo non
potuit liberè aliquid efficere: quia consilium Dei
illi præiuit. Hæc difficultas est grauissima, quam
longè disp. sequ. à §. 117. examinabo.

SVBSECTIO I.

DISPV